

Dicere verbum creare
quid sit.

quatuor idem omnino sunt, ut dictum est) formaliter significant actionem, qua producitur verbum, connotando id, à quo pròdit talis actio, tamquam à causa efficiente. Dicere verò, seu dictio, sonet illam ipsam actionem, per quam verbum producitur. Eadem etiam actio vocatur locutio, generalio, & productio verbi. Verbum autem est terminus à dicente per huiusmodi actionem productus. Vnde eodem modo se habet ad dicere, & ad dicens, quo calor produktus se habet ad calefactionem, per quam producitur, & ad calefaciens, ut superior dicabetur. Quo loco obserua, cùm in verbo creato duplex reperitur respectus, ut dictum est: alter realis ad dicentes, qui non est aliud, quām relatio effectus ad causam, annexa qui dem verbo creato, non tamē ei essentialis: alter vero rationis ad rem, quām significat, ratione cuius dicitur etiam verbum rei significans, fit, ut quemadmodum qui rem aliquam dealbat, per quam actionem eam efficit albam, dicitur etiam similem eam alteri efficer propter similitudinem quæ ex albedine resultat: ita qui verbum aliquod dicit, per eamdem actionem, per quam illud pronunciat, dicatur etiam ratione respectus, quo verbum prolatum eam rem exprimit, rem verbo significatam dicere.

In Deo autem, dicens, dicere, & Verbum, ita sunt affecta, vt dicens, & dicere formaliter dicant relationem per modum actionis, qua producitur Verbum: quæ ratio est in Patre dicente per intellectum, & producente Filium, atque Verbum: Verbum vero completer per passiuū dictiōnem quæ relatio est realis in Filio, ac Verbo diuino, significata per modum passionis: eamdemq; appellant generationem passiuū. Et quia Verbum, ratione absoluti, quod non includit, habet relationem rationis ad creaturas, ut explicatum est, Pater aeternus generando, & producendo Verbum per intellectum, non solum dicere dicere Verbum ipsum, sed etiam creaturas in Verbo, & vniuersim quicquid Verbo cognoscit.

D I S P U T A T I O N E V I I I .

Vtrum in rebus creatis verbum mentis distinguatur ab actu intelligendi, & an sint idem dicere & intelligere.

M E M B R U M I .

Argumenta partis affirmantis.

I N rebus creatis verbum ab actu intelligendi minimè distingui, probant Scotus, Durandus, Aureolus, & alij, quos Capreolus in 1. dist. 27. quæst. 2. refert. Primo, quia hoc est discrimen inter actionem immanente & trascendentem, quod per hanc producitur aliquid aliud, minimè vero per immanetem, quin potius ipsa est id ultimum, quod producitur: sed intellectio actus est immaterialis: ergo per intellectuonem nihil producitur ab ea distinctum, quod verbum vocari possit, sed ipsam est verbum. Minor & consequentia patent. Maior probatur, tum ex Aristotele 9. Metaphys. textu 16. expressè constitueretur illud discrimen: id quod etiam innovere visum est 1. Ethicorum cap. 1. tum etiam quia, quod per actionem aliquid producitur, illud est nobilis ipsa actione, ut Aristote-

A les docet 1. Ethicorum cap. 1. in homine autem nihil est nobilis actione immanente intellectus & voluntatis: ideo enim Philosopher 1. & 10. Ethic. constituit felicitatem humanam, tam moralem, quam speculativam, in operatione intellectus & voluntatis, quod prestantissima corum omnia, quæ nobis insunt, & ad quæ cetera ordinantur, sunt eiusmodi operations, fit ergo, ut per actionem immanentem nihil aliud producatur.

Secundò, per actionem sentiendi & volendi nihil aliud producitur: ergo neque per actionem intelligenti, sed ipsa est verbum mentis.

Tertiò, si intellectio forset actio, qua produceatur verbum, & verbum eam terminaret, sane contradictionem feceretur, si quis intelligereret, & verbum non proferret: haud fucus atq; si agens aliquod calefaceret, & calor non produceret: consequens autem est falsum, non solum quia Filius & Spiritus sanctus in divinis intelligunt, & non producent. Verbum (alias generaret) Filium sicut Pater, quod est hereticum) sed etiam, quia beati intuentes diuinam essentiam & Angeli cognoscentes propriam substantiam non producent verbum: ergo intelligentia non est actio, qua producatur verbum, sed ipsam est verbum mentis.

Quartò, si per actum intelligenti producereatur verbum, intelligentia, & non memoria secunda, producere verbum, quod est contra Augustinum multis in locis, in quibus nomine, intelligentia, mement intelligit, vt iam actu intelligit; nomine vero, memoria secunda, cumdem intellectum, vt prius natura, quam intelligat, est in actu primo per speciem intelligibilem, aut aliquid, quod concurreat posfit ad actu intelligendi infar speciei intelligibilis.

Quinto, si Verbum esset species expresa obiecti producta per actum intelligenti, & ab eo distincta, cùm sit eiusdem speciei cum specie impresa, & eiusdem obiecti, sane duo accidentia eiusdem speciei, & de eodem obiecto, essent simul in eodem subiecto, quod est absurdum.

Sextò, expressa obiecti species non est necessaria ad intelligentium; ergo admittenda non est, vt sit verbum. Consequenter est manifesta, antecedens vero probatur, quia si esset necessaria, certe intellectus affectus iam specie impressa obiectu esset adhuc in potentia essentiali ad intelligentium, quod est absurdum. Sequela probatur, quia tunc aliquid dicitur esse in potentia essentiali, quando non solum est in potentia ad operationem, sed etiam ad formam ei operationi necessariam.

Septimo, si intellectio esset actio, per quam prodiceretur terminus, fieri non posset, vt percipere intellectio, qui simul perciperetur terminus illius, sicut fieri nequit, vt intelligatur calefactio, qui simul intelligatur calor, qui per eam producatur; sed nullum videtur esse absurdum, quod percipiatur intellectio, nullo interim perceptio termino per eam productio; ergo intellectio non est actio, per quam verbum tamquam terminus producatur.

M E M B R U M I I .

Quatuor de verbo sententiæ, & que eam ratione vera sit.

C irca hanc disputationem videnda sunt, quæ diximus quæst. 12. artic. 2. disputat. 1. Præmissa